



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CLI. Rigidam Patris justitiam Filius Dei pro nobis crucifixus in summam misericordiam mutavit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CLI.

Rigidam Dei Patris justitiam Filius Dei pro nobis Crucifixus in summam misericordiam mutavit.

Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo & non sacrificium. Matth. 9. 13.

1.

Rectè Osee Propheta, ubi vidit, quòd Judæi jam suo ævo summam sanctitatem, pietatem, ac placationem Dei ponerent in externis sacrificiis, & quòd oves & boves immolati iram Dei placarent, crudo illi populo ex parte Dei intimavit: *Quia misericordiam volui & non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocausta.* Osee 6, 6. Hoc & Christus in nova lege fecit, unde dixit ad discipulos Judæos: *Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo & non sacrificium,* Matth. 9. 13. malo enim misericordiam, & misereri miserorum peccatorum, quàm cum Hebræis DEO hostias & cruenta offerre sacrificia. Ostendit autem infinitam hanc misericordiam suam comprimis in incarnatione & excellentissimo modo in passione, dum pro nostra, omniumque salute in ara crucis cruenta victima occubuit. Et quid magis admirandum: DEUS in cruce! ô cœli obstupescite! *Deus in ligno pro homine indigno!* Vide, & considera hic rigidam Patris æterni justitiam, quam tamen filius Dei pendens in cruce in summam mutavit misericordiam, unde S. Chrysologus: *Deus Dominum mutavit in Patrem, & ab eo S. Chrysolog. tempore amari maluit, quàm timeri.* Videamus modò, quomodò Crucifixus JESUS justitiam mutaverit in misericordiam. secm. 7.

2. Ab illo tempore, quo primus Pater noster, & nos pariter cum illo legem Dei prævaricati sumus, infideles vasalli supremi Numinis justam iram incurrimus: *Hinc illa lacryma,* quòd DEUS justus Judex tum in statu naturæ, tum in lege Mosaica tam terribilem erga mortales prævaricatores se exhibuerit. Protoparentes considera è paradiso
Gmber Unus pro omnibus. Cccc radiso

radiso cum omni posteritate sua in exilium eiectos. De hac rigida Æterni Patris justitia loquitur etiam totius orbis naufragium; ignes de cœlo lapsi, quibus exusta, & in suis cineribus sepulta Pentapolis; loquuntur sanguinis in præliis effusi maria; repentini terræ hiatus, & igneus ac subterraneus carcer, ad quem plerique peccatorum sine discrimine detrudebantur. Ecce quàm terribilem se olim demonstraverit DEUS: *Deus ultionum Dominus.*

Psal. 93. 1.

3. Abel innocens sanguinem suum effudit, sed quid? placere iram Patris non poterat, licet sanguis illa usque in cœlum clamaverit, nihil tamen exoravit, nisi vindictam contra parricidam.

Gen. 4. 10.

Gen. 22. 9.

Illam inaudita Abrahæ obedientiam, dum ad filium unigenitum immolandum gladium eduxit, quasi vim DEO inferre visa est, sed ad misericordiam pertrahere non potuit.

1. Petr. 3. 20.

Noëmi justitia & pietas etsi multum DEO placuit, paucos tamen suos amicos ex illo cataclysmo eripuit: *Expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id est octo anima salva facta sunt per aquam.*

Exod. 32. 32.

Moyse pro delictis populi se obtulit ad puniendum, & deleri potius optabat de libro vitæ, quàm videre interitum Hebræorum, permansit tamen DEUS in sede majestatis suæ & in tribunali justitiæ immobilis.

Jer. 2. 11. 13.

Jeremias virgam vigilantem, & ollam succensam vidit, impiorum supplicia, igitur ad laborabat omnibus modis, quomodo posset civibus suis succurrere, hinc threnis plenus & planctibus quadraginta annis vinctus catenis Hierosolymæ plateas obiit, divinam implorans misericordiam, ut impendentem justitiæ gladium averteret, sed frustra, dum nihil secius princeps illa civitas & Domina gentium igne & gladio à Justissimo illo Judice devastata, & subversa est.

Ezech. 5. 11.

4. Mitto plures alios Sanctos, Patriarchas & Prophetas, qui in ordine redemptionis ad placandum DEUM nihil poterant efficere, neque omnes Angeli ejus; unde DEUS ad Ezechielem dixit: *Non parcat oculus meus, neque miserebor.* Magna profecto iræ causa, quando ille, cujus natura bonitas, opus misericordia, amicorum suorum precibus locum nullum reliquit. Et quid tandem?

Coloss. 1. 20.

Venit Filius Dei in terram, fit Filius hominis, ascendit in arborem crucis, pender medius cœlum inter & terram, & reconciliat omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis, sive qua in terris, sive qua in cælis sunt.

Jo. 3. 16.

Eccc rigida Patris justitia per crucifixum JESUM in misericordiam mutata est, nunc auditur in Evangelio: *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

aterviam. Nota hic magnam vim ac emphasin istorum Christi verborum, qui per crucem liberè acceptatam hanc summam gratiam à Patre nobis promeritus est.

5. Pergamus ulteriùs. Quanto justitiæ rigore DEUS ante adventum Christi populum suum gubernaverit, patet ex pœna Moyfi inflicta. Hic servus Dei fidelissimus & DEO summè familiaris, quia non habuit plenam fiduciam in DEO, & cum aliqua dubitatione petram percussit, à terra promissionis exclusus est; unde non sine gemitu ad populum dixit: *Mibi iratus est Dominus propter vos &c.*

Deut. 1. 37.

Ezechias Rex Deo charissimus ostendit legatis Regis Babylonie ex aliqua vana elatione omnes thesauros regio, & mox à DEO per 4. Reg. 20. Isaiam Prophetam correptus est: *Audi sermonem Domini, ecce dies venient, & 2. Paral. 30. & auferentur omnia, qua sunt in domo tua &c.*

David virum aliàs secundùm cor Dei ob numeratum populum 2. Reg. 24. 15. sibi subjectum DEUS gravissimè punivit, cum mox pestilentia ob illud leve elationis peccatum in populum immissa est, & septuaginta millia virorum subditorum suorum è vivis abstulit.

Siste hic Lector prudens, & unà mecum considera quid Scriptura subjungat: *Immisit Dominus pestilentiam in Israel de manè usque ad tempus constitutum.* Et quale huic immani pestilentie erat tempus à DEO constitutum? Septuaginta legunt: *De manè usque ad horam prandii,* ibi cessavit omnis pestilentia & furor Domini, hora nimirum prandii, quæ erat hora sexta diei seu meridiana: Ubi sol incaluit, ait Mendoza, *Mendoza hic ira Angeli refrixit, nam misertus est Dominus: Illa hora,* pergit idem *in lib. Reg.* Mendoza, *figurabat illam meridiem, in qua Christus crucifixus est, & divina justitia ardor refrixit.* Ecce Crucifixus Dominus ardorem divinæ justitiæ in summam mutavit misericordiam; stabant enim tunc jam omnia elementa parata ad summendam de homine peccatore vindictam, & quid Christus in cruce? *Pater, dimitte illis.* Et in hunc finem pulsus meridianus hora duodecimâ ab Ecclesia institutus est, ad quem Ludovicus Undecimus Gallie Rex ex equo descendere, & nudo capite agge- *Canis. lib. 3. de B. V. c. 3* nu utroque flexo crucifixum JESUM venerari non erubuit. Imitare exemplum.

6. *Dum esset Rex in accubitu suo,* dicebat quondam dilecta illa Sponsa, *nardus mea dedit odorem suum.* Et qualis ille accubitus? R. Glossa interlinearis: *Accubitus crucis,* hic Rex Regum & Dominus Dominantium inter latrones medius dedit odorem suum, & in omnes suam effudit misericordiam.

Jonas Propheta ubi de navi à nautis in mare iratum projectus est, sine mora cessarunt venti, maris aestus, tumores & fluctus: *Et stetit mare*

Cccc 2

à servo-

Jonæ 1: 15. à *servore suo.* Jonas in navi dormiens, ait Sanctus Zeno Veronensis, **serm. de Jona.** imaginem Sacramenti Dominici præferebat, navis materia significabat crucem; Somnus Christi passionem & mortem. Conspirabant autem omnia Elementa contra peccatores in passione Filii Dei perendos, sed contra accidit, Christo enim in mare rubrum passionis projecto rediit tranquillitas, orbis pax, & justitia in misericordiam mutata est, ita ut Christi interitus summa & unica Mundi salus fuerit.

Gen. 8. 11.

7. Columba ista, quæ virentem olivæ ramum post diluvium iusto Noëmo tulit, juxta mentem SS. Patrum Christum præsignavit, cui Sponsa oculos columbæ assignat, & Spiritus Sanctus in specie columbæ super ipsum descendit. Ecce divina hæc columba non tantum Noëmo pacifico, sed etiam in diluvio pereuntibus peccatoribus

Cant. 5. 12.

Matth. 3. 16.

Luc. 5. 32.

Matth. 18. 22

similem gratiarum olivam offert, dum ait: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Vult igitur illis condonari non tantum septies, sed septuagesies septies, id est, semper; proinde nullo modo vult nos de venia desperare; hinc S. Catharina Senensi aliquando dixit, prout refert Blosius in Monili Spirit. cap. 1. *Peccatores, qui in mortis extremitate desperant de misericordia mea, multò gravius me offendunt, & magis mihi displicent hoc uno peccato, quàm omnibus aliis iniquitatibus, quas unquam commiserunt; qui enim desperat, contemnit apertè ipsam misericordiam meam, & perversè existimat iniquitatem suam majorem esse, quàm sit eadem misericordia & bonitas mea.* Et addit Veritas Christus: *Quoniam in infinitum major est misericordia mea, quàm sint omnia peccata, quæ unquam fuerunt commissa, vel quæ committi possint ab aliqua creatura.* Hæc Christus Crucifixus ad Divam illam Virginem Senensem. Quis igitur non speret in infinita misericordia Crucifixi Jesu?

Blosius in
Monili Spirit.
cap. 1.

